



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 149. Ægidii Carlerii obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Secul. XV.
A.C. 1472.

§. CXLVIII.

*Nicolaus Calabriae Ducis Filius
mortuus.*

Gastonis fata proxime exceperat Nicolai obitus, qui Joannis Calabriae & Lotharingiae Ducis Filii Nanceji nulla prole relicta decessit; unde in ejus ditiones Jolanda ejusdem Amita succedebat. Fuit illa Renati Siciliae Regis, Provinciae & Andegavi Comitis Filia, necnon Friderici de Lotharingia Valdemontii Comitis Vidua, ex quibus primis nuptiis Filium habuit Renatum nomine, a quo ceteri omnes Lotharingiae Principes genus suum ducunt.

§. CXLIX.

Ægidii Carlerii obitus.

Dupin. bibl. Script. tom. 12. p. 100. Conc. tom. 12. p. 1159. Canisius antiq. lect. tom. 3. p. 289. Min. in auct. de Script. eccles. **Æ**gidius Carlerius Scriptor celeberrimus, die vigesima tertia Novembris summa senectute expleta hunc annum millesimum quadringentesimum septuagesimum secundum in postremis habuit: quamvis Cave hujus viri mortem ad Annum Christi millesimum quadringentesimum septuagesimum tertium, proin ad tempus integro anno posterius, rejiciat. *Æ*gidius Cameraci prima luce aspexit; studio-

studiorum vero curriculum Parisiis in Na-^{Sæcul. XV.}
 varræ Collegio emensus cum ingenti no- ^{A.C. 1472.}
 minis sui fama libros Magistri sententiarum
 interpretatus est; tandem vero Anno Sa-
 lutis millesimo quadringentesimo decimo
 quarto in Parisiensi Facultate Theologiæ
 Doctoris laurea decoratus floruit. Non
 minori applausu in eadem Metropoli Ver-
 bi Divini Præconem, atque interpretem
 agebat; demum vero Anno post Chri-
 stum natum millesimo quadringentesimo
 quinquagesimo primo Cameracensis Ec-
 clesiæ Decanus salutatus est. Aderat
 etiam in Consilio Basileensi, ubi suam
 quoque in Hussitis ad sinum Ecclesiæ re-
 vocandis operam strenue navabat, atque
 ab eadem Synodo in Bohemiam cum
 aliis Orator decernebatur, nihilque in-
 tentatum relinquebat, ut legationi suæ
 optatus responderet successus. Ad sum-
 mam senectutem vitæ suæ dies protraxe-
 rat, ac demum Facultatis Theologiæ De-
 canus Parisiis renuntiatus est. Basilea
 redux contra Nicolaum Galecum Tabo-
 ritam de publica peccatorum poenitentia
 solidos quatuor dies acerrime conflictit,
 ejusque oratio ad nostra usque tempora
 pervenit. Varias etiam casuum consul-
 tationes postea responsis suis illustrabat,
 quæ in duo volumina distinctæ Bruxel-
 lis Anno Salutis millesimo quadringen-
 tesimo

Sæcul. XV. tesimo septuagismo octavo in majori forma excusæ publici juris factæ sunt.

A.C. 1472. Primum volumen inscribitur: *Sporta*, ac diversos complectitur tractatus de conservatione bonorum Ecclesiæ ejusque defensoribus; de perpetua virginitate B. V. M. contra Iconomachos; & de Clericorum coelibatu. Alterum, anno sequenti editum sub titulo *Sportula* continet tractatus de electione Judæ proditoris; de Hierarchia ecclesiastica; de redditibus ad victum necessariis; de decimis; de imaginibus; de confessione &c. Asservantur etiam in Navarrensis Collegii Bibliotheca plura alia ejusdem Doctoris opuscula necdum typis impressa, inter quæ præcipue sunt Commentarius in Magistrum Sententiarum; tractatus de communione laicorum sub una specie; & de casibus conscientiæ, præter ingentem sermonum collectionem.

